



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Cur discipuli non potuerunt sanare Lunaticum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSVS 14. 15.

Et cum venisset ad turbam, accessit ad eam homo genibus pronolatus ante eum, dicens: Domine misere-re filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sepe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

QVÆSTIO I.

Quis Lunaticus?

§. 1. Pater afflicti filii accedit Christum ^{γονυπετών}, ingenua pronolatus, ut Syrus habet, super genua, nam quod Beza ait esse illud ^{καὶ δὲ γόνυ}, non aduertit, Latine nos dicere solere, pronolui in genua, etiam si id fiat, sine vlla omnino volutatione solum procidendo. Sic dicitur de Pindaro. Verba deuoluit. Dicere voluit Evangelista, parentem in genua procidisse, genibusque volutum, nec continuo surrexisse.

§. 2. Lunaticum vocat Græcè ^{σεληνιασέντι}, agitat pro lunari scilicet influxu, Syriacè dicitur ^{ܠܘܢܐܬܝܬܐ}, quod non nisi hoc loco inuenitur, & Matth. 5. versu penultimo. Dicitur autem lunatici, qui ad Lunæ periodos morbis corripiuntur melancholicis, infania, & sub eius defectum morbo Herculeo. Nam ad mutationem humores valde immutantur. Recte igitur Origen. Medicos reprehendit, qui omnia illa humo-ribus attribuant. Verum de Lunaticis, Atrabiliariis, & eiusmodi morbis alibi actum. Qui caduco morbo laborant, videntur aliquid interdum pati, quod dæmonis malitiæ tribuendum potius, quam passioni videtur, ut obseruat Iansenius. Verum id rarum est.

§. 3. Lunaticum ergo esse ait, & Dæmoniacum: vtrumque fieri potest, ut & eo morbo correptus fuerit, & insuper a dæmone vexatus. Hoc enim fieri facile potest: vltimum ipsum dæmon exasperat. Hieronymus arbitrat, secundum tempora Lunæ magis dæmonem seuire, ut creaturam Dei infamet, ac deinde in ipsum autorem Deum blasphemiam deriuat. Vide locum Matth. 4. Ineptè prorsus Zwinglius dæmonia vocat, die ^{Tenßlung} quasi dæmonitatem dicat, non tamen puram actionem, sed personale partim, die ^{beschwârdet} dicit die der arm Mensch hat, nam dæmonium pro omni malo accipi potest, quod nobis aduersatur. Quæ interpretatio falsa est, omnes enim circumstantiæ ostendunt, de dæmone seu damnato Angelo sermonem esse. Nec vnaquam in sacris literis dæmonium aliter accipitur. Crudelitas dæmonis ex effectu apparet, nam conicit ignem & aquam. Fortem tamen illum dominantem crudeliter, mero imperio Dominus eiecit; nam ^{non timuit} ait ^{non timuit} & cedere coactus est.

VERSVS 16. 17.

Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? usque quo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, &

exijt ab eo demonium, & curatus est puer ex illa hora.

QVÆSTIO I.

Cur discipuli non potuerunt sanare Lunaticum?

§. 1. Causam Christus reddit: incredulitatem eorum. Marc. 9. 14. multa plura recensentur, & discipulorum cum Phariseis disputatio. Sine dubio exprobrauit, quod dæmonem elicere non possent. Generationem ^{ἀπιστον} incredulam, non credentem vocat, Syrus, & peruersam, distortā. ^{ἀσπαρμυρίτω} similitudinem à lignis incuruis, aut etiam oculis sumptā cum a recto deflectunt. An Patri adolescens, an Iudæis dicat? an vero discipulis? controuertitur. Marc. 9. v. 19. habetur, Qui respondens eis, id est, Patri & Iudæis circumstantibus; nam in Græco & Syro est singularis ^{αὐτῷ} ipsi. Sic Hila. Chrys. Hierony. Beda. D. Increduli Thom. Patrem non credidisse constat, cum dicat. ^ὁ Iudæi. ^{quid potes adiuua nos.} Et tandem credit, & rogat. ^{ut adiuuet incredulitatem suam.} Origenes ad discipulos refert: Et certe Dominus eos incredulitatis arguit. Ex Marco tamen constat scribas redargui. vers. 16. Et interrogauit scribas. Quid disputatis inter vos? Et respondens vnus e turba, &c. Cum enim irrito conatu discipuli dæmonem essent aggressi, malignosē & peruersē insultabant, quasi exinanita Christi virtute, præteritorum contemptores, peruersus animus de aliena calamitate potius gaudere, quam de successu sanationis: quæ malitia planè intolerabilis Christo visa est. Ipsi quoque Christi interrogatione perculsi conticescunt. Patrem miserabilis filii dolor exclamare cogit. Sic Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Theophylactus.

VERSVS 19.

Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic Transi hinc illuc & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

QVÆSTIO I.

Quæ fides sicut granum sinapis?

§. 1. Non erant discipuli ita infideles, ut fidem omnino amiserint. Nam quod 19 versu dicit, ^{si esset in vobis fides instar grani sinapis} non pronuntiat nullam esse, sed non efficacem. In grano enim sinapeos duo consideranda sunt, paruitas, & efficacia, viresque, vtrique ex proprietate comparationes deduci solent. Visitum est enim ob diuersos effectus easdem res ad varias interdum etiam contrarias similitudines adhibere. Leo ob fortitudinem dicitur tribus ludis, & Christus, propter rapacitatem autem & ^{nes ex vna} crudelitatem, etiam tyranni Leones appellantur ut ^{contrariet.} cum dicitur educaſſe mater vnum de leuinculis, & effectus esse Leo. ^{didiciſſe} prædam capere, & hominem vorare, sic fermentum quod mulier miscuit in farina satis tribus, significat Euangelium, Phariseorum fermentum est Hypocritis, & falsa doctrina. Hunc in modum, cum sit sinapeos magna vis & ardens, tam potest ad similitudinem trahi efficacia illa, quàm paruitas.

Fides parua
non est effi-
cax.

paruitas. Itaque sensus verborum Christi est. Ideo e-
ficere dæmonem non potestis, quia deest vobis fides
magna, efficax, æstiosa, quæ tanto par sit miraculo, ea
si adesset: adesse autem debuit, postquam & tot mea
vidistis miracula, & ipsi fecistis. Nunc cum mise-
rum adolescentem videtis, quem a puero pessimus
dæmon possedit, fides vestra elanguit, cum porius in-
stat grani sinapeos quod frictu inardescit, & vim ex-
erit, sese animare, & contra difficultates insurgere o-
porteret. Fides ergo, ut grani sinapeos est firma per
spem & charitatem operatrix. non timida, non lan-
guida, sed excitata, animosa, rem arduam aggre-
diens.

Magna fi-
des est mon-
tibus trans-
ferendis ne-
cessaria.

§. 2. Talem requiri fidem in Apostolis in confes-
so est. In Christum sanè credebant, & ante dies octo
præcæntis Petri confessionem consensu approbant:
Non igitur infideles erant. Nec hoc villo modo dice-
re Calvinistæ possunt, cum doceant, fidem semel ac-
ceptam nunquam amitti. A vero autem penitus a-
licnum est, nullam Apostolos fidem habuisse ne mi-
nimam quidem, quale est grani sinapeos. Incre-
dulas igitur est fides imperfecta, quæ ad montes
transferendos non satis virium habet. Paulus sanè ad
montium translationem, non exiguum, sed ingentem
fidem requirit: *Et si habeam omnem fidem, ita ut montes*
transferam. Omnis igitur fides, hoc est, perfecta, ne-
cessaria est: non sufficit exigua; non igitur Christus
in paruitate grani sed efficaciam similitudinem consti-
tuit. Cur enim si de solâ paruitate sermo est, vteretur
potius exemplo grani sinapis, quam arenæ, festucæ,
aut aliarum rerum. Si autem vires magnas in angus-
ta mole, & latentem præstantiam demonstrare vo-
luit, aptissimam similitudinem vsurpauit. Exigua
res est, ne pulchra quidem, sed abiecta, grani sinapeos:
at vires ingentes tam paruo corpusculo conti-
net. De sinapi actum est à me, cum explicarem quo-
modo fiat arbor. Fides credentium in oculis homi-
num abiecta est, instantiæ fugax, nimis simplicitatis
contemptum trahit, stultitiæ opprobrio grauatur,
sed tamen fortis est, adeoque potens, ut nihil illi sit
impossibile.

Sinapeos
paruitas, &
vires confi-
denda.

§. 3. Qui paruitatis comparisonem esse interpre-
tantur, triplici ratione mouentur. Nam & grani
eam comparisonem vsitatam aiunt, deinde hoc re-
quirent montis antithesin volunt, denique ni-
hil mirum esse, si magis à fide mons loco mouea-
tur, si vero parua id fide fiat, id vero esse admi-
rabile.

Magna fi-
des magna
præstat.

Respondeo. Iam ante ostendi, rerum vnde simi-
litudines capiuntur, non vnam esse affectionem,
quæ proposito seruiat, ubi serpens nunc pruden-
tiæ, nunc astutiæ & malitiæ Symbolum est. Gra-
num sinapis quidem propter exiguam vsurpat
CHRISTVS, sed tamen si rem spectemus etiam
vires eius perpendit. Cum enim regnum cælorum
esse grano sinapis simile pronuntiat, duabus extre-
mus comparisonem sumit, paruitate & efficacia.
Nam minimum est omnibus seminibus, & tamen
ita crescit, ut fiat maius omnibus oleis, & sit ar-
bor; ita regnum cælorum initio minimum fuit, sed
virtute sua creuit, ut omnia regna superaret. Hoc
exemplo iam etiam de fide loquendum est. Si ha-
beretis fidem sicut grani sinapis, quæ à tenui prin-
cipio orta, celeriter suo calore excresceret, & in ar-
borem roboraretur, non illa cederet difficultatibus.
Sed continuo augetur & diuina virtute firmata
pertinet, non consistit in eo, quod parua fides ma-
gnam molem transferat, sed quod fortis & magna
præstat ingentia. Nam Paulus magnam fidem ad

montium translationem requirit. Quin & hoc ad-
mirabile est, paruum fidem magna celeritate cresce-
re, ut montem transferat, quemadmodum grani
sinapis in arborem crescit, ut volucres habitent in ra-
mis eius.

§. 4. Fidem miraculorum nonnulli aiunt esse do-
num gratis datum, & ad voluntatem pertinere, si-
ue spem firmam esse, alii vero sentiunt esse fidem Ca-
tholicam, seu certitudinem quandam illius pecu-
liarem ex qua miracula oriuntur. Mihi certum est,
fidem, quæ ad miracula pertinet, ad intellectum seu
iudicium pertinere, licet ex ea spes oriatur. Scri-
ptura enim fidem credendo definit, & obiectum fi-
cit veritatem à Deo reuelatam: quod etiam hoc lo-
co cernitur. Iudæorum enim & patris, cuius filius
ratulaticus, incredulitas seu *ἀπιστία*, in eo verba-
batur, quod existimarent Apostolos non posse, nec
CHRISTVM sanare dæmoniacum, aut sanè du-
bitabant. Si quid potes adiuvare: & hæsitacionem fate-
tur, cum flens dicit, *adiuvare incredulitatem meam*: in
eo conveniunt interpretes, atque adeo non diffi-
ciant Calvinus, & hæretici: De Apostolorum in-
credulitate maior est difficultas: Non enim de Chri-
sti potentia dubitarunt, multò minus iudicant esse
eum miraculi impotentem. Hinc alii fidem eor-
um imperfectam fuisse iudicant, alii alio in de-
fectu incredulitatem constituerunt. De Aposto-
lorum incredulitate etiam statuo, non fuisse illam in
voluntate, ideoque nec fidem, qua miracula face-
rent, in eadem potentia. Si enim in voluntate est
fiducia, opponeretur & esset miraculi futuri despe-
ratio, aut sanè spes infirma, quæ miraculo non suf-
ficeret. Si miraculum omnino desperabant, iam
ergo præcæsserat iudicium, non esse futurum. Quod
enim iudicio fieri posse moraliter, & crebro expertus
sum, non despero futurum.

§. 5. Non agitur itaque hic de fide miraculorum,
quæ diuerfa sit ab ea fide, quæ Catholica est, aut
per quam fideles, & Christiani sumus, Parentem
enim adolescentis pariter Christus reprehendit, &
Iudæos, quod incredulus sit, nimirum ea fide ca-
reat, qua Centurio, Chananæa, cæterique benefi-
cium impetrarunt. At verò nec ille reprehendi me-
ruit, quod fide miraculorum careret, nec illi quod
eam haberent laudati sunt. Bonum enim illud est, quod
ex solo Dei nutu, non consensu voluntatis
humanae dependet, ut dona linguarum, sanitarum,
aliaque ob quæ non laudantur, qui habent, nec vi-
tuperantur, qui carent; imò quæ sæpè impiis in a-
liorum gratiam conferuntur. Miracula enim à vi-
uentibus facta non semper signa vitæ sunt innocuæ,
sed diuinæ potentia testimonia.

Calvinus de fide speciali agi putat, & eam Apo-
stolos sua ignavia suffocasse. Addit tamen: *Sed quod*
de particulari fide pro circumstantia disserit Christus, ad
communem totius Ecclesiæ fidem extenditur. Quæ ex re
duo contrâ Calvinianos porismata deduco. Nempe
si quis communem totius Ecclesiæ fidem habeat, ut
grani sinapis, eum montes posse transferre, nec
esse separatam fidem miraculorum. Alterum ex
Calvini opinione Apostolorum communem totius
Ecclesiæ fidem ignavia sua suffocasse, quod enim de
speciali fide dicitur, ad communem extendendum.
Fidem ergo perdiderunt, ac proinde iusticiam, quæ
sine fide nulla esse potest. Quandoquidem autem
multi de fide miraculi varie disputant, præcipue ex
hoc loco, ut ostendant, quod Apostoli non fuerint
infideles, & quomodo fides ut grani Sinapis ad
montes transferendos valeat, mihi breuiter res expli-
canda est.

§. 6. Fides

§. 6. Fides igitur, qua miracula fiunt, non est confidentia, seu fiducia, aut spes, quamvis spe sit opus ad facienda miracula. Rationes aliquas iam attuli, & alie superflunt. Paulus Apostolus. 1. Cor. 13. Fidem qua montes transferuntur, distinguit à spe & charitate. Pari modo Hebr. 11. Fides definitur, quæ ad intellectum pertinet; & c. tamen miracula facta esse Paulus dicit. Imperiti porro sunt, qui confidentiam constituunt fidem miraculorum. Si enim certa & infallibili voluntate speret, aut confidat, iam fore miraculum à Deo parrandum, vel præcelsit iudiciu certum & immutabile, quo iudicabitur futurum, vel absque eo iudicio spei rectitudo consistit. Hoc secundum fieri non potest, non enim fiducia est certissima adhesionis, nisi fundamentum æque sit certum. Quis certissima confidat voluntate, si intellectus dubitet? Si rectum iudicium antecessit seu assensus, ille vel est reuelatione, vel naturali euidencia, vel singulari supernaturali impulsu. Si ex reuelatione iam fides est, ideo non propria spes. Si enim fide creditur iam miraculum futurum, non sperat; quemadmodum Deum credo omnipotentem, non spero. Si non est reuelatio, non est fides, itaque nec spes quæ ex fide non oritur; fides miraculorum vocari debet. Cur enim fidem vocemus, quod nec fides est, nec ex fide ortum est? Quod nonnulli fiduciam ex bona conscientia ortam interpretantur, id quoque non potest dici. Nam illa fides non est, cum verbo Dei non nitatur.

§. 7. Fides miraculorum non est particularis illa, qua Deus alicui reuelat miraculum futurum. Cum enim Deus Moysi reuelaret futurum, ut virga in draconem verteretur, multaque signa coram Pharaone faceret, fides, qua ista futura credidit, Catholica fides erat, qua omnibus à Deo reuelatis credebatur. Multa autem miracula faciunt, quibus eiusmodi reuelatio antea nequaquam facta est. Quamquam autem ad miracula facienda est fides illa necessaria, non tamen est separata fides, aut distincta ab illa, quam fidem Theologicam nominamus.

§. 8. Ne illa quidem fides specialis est, & ad miracula pertinet, qua credimus Deum facturum miracula, positis conditionibus, sub quibus id promittit. Hoc enim est non minus virtutis Theologicæ, quam credere Deum veracem esse, & in promissis stabilem.

§. 9. Fides miraculorum non est iudicium particulare, quo quispiam iudicat, absque singulari tamen reuelatione, Deum præsentis rerum statu miracula facturum. Exemplo rem declaro. Absit Christus, adfuit Pharisæi, protrahitur lunaticus, fidei opus est ad demonium eijciendū: Fides qua eijciendus est, non est iudicium seu assensus huius propositionis. Deus hoc loco & tempore per vos demonem eijciat. Fides enim siue in intellectu, siue in voluntate collocetur, niti debet reuelatione divina, ab ore Dei pendet. Cum enim certitudo sit, nec ex rebus naturalibus haberi possit, nec esse est ut à Deo eam sortiatur. Itaque neque hæretici fidem illam appellant, nec quæ contra illam indicia sunt, possunt infidelitatis nomine accusari; cum valde incertum sit, quando, quomodo & ubi Deus velit miracula operari.

§. 10. Quod si absque reuelatione Deus animi ita occulto motu inclinet, ut omnino sibi persuadeat, iam futurum miraculum, ut iudicium hoc firmet: iam futurum miraculum, nec contrarium eliciere possit, ita & ad actum. Et specificationem actus à Deo determinetur, erit quidem hoc bonum,

Adami Conzen. in Euang. Tom. I.

& gratia, certoque miraculum consequetur, non tamen hoc iudicium fides est, quia caret formali ratione fidei, quæ est reuelatio. Hic autem actuale auxilium & motionem. Sine reuelatione, assensum fidei operari negamus. Nec Apostoli reprehenduntur, quod tale auxilium non acceperint à Deo. Denique nolo, hac in re fidem, aut infidelitatem vocari eam, quæ non habet pro obiecto rem reuelatam, si enim reuelatio accedat, iam ad fidem quæ est virtus Theologica pertinet.

§. 11. Apostolorum igitur incredulitas in eo cernebatur, quod cum demoniacum cernerent, se etiam potestatem accepisse eijciendi cognoscerent, fidei tamen actualem non excitarent, non confiderarent Christi promissionem & potentiam, sed torperent, & quia non credebant actu, ideo vocatur incredulitas, quod tali occasione peccatum est, cum Dei honorageretur, & hominis salus miser, cum opus esset omni modo conniti, non excitarent in se fidem, hoc est actus eius heroicis, orarent etiam, & ieiunarent. Ideo fides non erat, ut granum sinapis, vim enim & actiuitatem non exercebat, habitus manebat, nullum fidei articulum negabant, sed cum fides esset alioqui adhuc debilis, vera tamen, non poterat ad miraculum faciendum inualescere. Incredulitas ergo fuit causa, non eiecit demonis, sicut orationis & ieiunij neglectus: Non actio contraria fidei, sicut nec actio contraria orationi, vel ieiunio. Non enim vel Deum blasphemabant, vel luxui vacabant.

§. 12. Vnde fidei tanta relaxatio fuerit, non potest nobis constare. Non est facta sola Christi absentia; missi enim ad prædicandum signa faciebant absente Domino. Qui inuidiam in causa esse existimant, quod solos tres secum Christus in montem adduxerit. Suspiciosi sunt, ut Lyranus, nesciebant enim quantum illi mysteriorum participes facti fuerint. Alij demonis proteruia, scribarum disputatione, ut insulatione, fractos arbitrantur, quod probabile est, quamvis teporem aliquem præcessisse non dubium; alioqui deiectioni non fuissent. Ardor igitur fidei elanguit, orationem & ieiunium aduersus tam ferocem demonem non adhibuerunt. Hac tamen omnia in gloriam Christi cesserunt, dum verbo & mero imperio demonem eiecit, Indæos redarguit, Apostolos ad fidem, orationem, ieiunium incitat, ad modestiam reuocat, omnemque glorandi occasionem præcidit. Hac tamen integram causam non conficiunt, miracula enim, faciunt sæpe homines improbi, quemadmodum linguis loquuntur, qui tamen fidem, charitatem iunctam non habuerunt.

§. 13. Cum tamen miracula improbi faciunt, vel etiam infideles, aliaratio esse videtur. Nam fideles & impij interdum miracula faciunt, magnam vim & insignes actus eliciunt, atque ita Deo concurrente miracula edunt. Cum infidelium opera in miraculis Deus vitur, id solum facit, ut gloriam suam manifestet, & atheismum e medio tollat. Sic quoddam permisit in nomine Christi demonia eijcere, qui Christum tamē non sequebantur. De fide igitur communi agitur, quam torpor, ut ait S. Hilarius, relaxarat, non imminuto habitu, sed ex occasione, actibus suppressis. Caluinus ait partem credidisse, partem non credidisse: quod si ita intelligat, quasdam propositiones fidei credidisse, alias falsas putasse, seu de illis dubitasse, fallitur. Qui de vno fidei obiecto dubitat fidem amisit. Zwinglius vacillantes fuisse dicit, & desperantes de salute hominis. Illa tamen desperatio contra fidem non fuit, non erat enim

Ff contra.

Fide actus negligunt.

Tepor præcessit.

112
Euangelia
CVI
18